

Dissertatio medica inauguralis, de asthmate ... / quam, annuente summo numine, ex auctoritate ... Gulielmi Robertson ... pro gradu doctoris ... eruditorum examini subjicit Patricius Murray.

Contributors

Murray, Patrick, M.D.
Robertson, William, 1721-1793.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Balfour, Auld, et Smellie ..., 1769.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/daxkvtjs>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
 INAUGURALIS,
 DE
 ASTHMAE.

QUAM,
 ANNUENTE SUMMO NUMINE,
 Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
 GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
 ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
 Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
 Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,
 SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
 RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit


PATRICIUS MURRAY,
 BRITANNUS.

Prid. Id. Junii, hora locoque solitis.

Ο βίβραχος, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς, ἡ δὲ πείρα σφαλερὴ
 ἡ δὲ κρίσις χαλεπὴ. HIPPOCRATES.

EDINBURGI:
 Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
 Academiae Typographos.

M,DCC,LXIX.



Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30788705>

V I R O N O B I L I S S I M O,

D U N B A R

C O M I T I D E S E L K I R K,

A R T I U M E T S C I E N T I A R U M L I B E R A L I U M

C U L T O R I E X I M I O,

P R O P T E R O M N E S V I R T U T E S H U M A N I O R E S,

O C U L I S V U L G A R I O R I B U S M I N U S S P E C I O S A S,

U B I Q U E V E N E R A N D O;

D I S S E R T A T I U N C U L A M H A N C C E Q U A L E M C U N Q U E,

O B S E R V A N T I Æ G R A T I Q U E A N I M I T E S T I M O N I U M,

E O Q U O P A R E S T O B S E Q U I O,

H U M I L L I M E D I C A T A M V O L U I T

P A T R I C I U S M U R R A Y.

CLASSICUS

U N I V E R S I T A T I S

COMITATU S E L I K I N K

ARTI S ET SCIENTIARUM FACULTATIS

CULTORI EXIMIO

PROPTER OMNES VIRTUTES HUMANAS

OCCUPIS VULGARIBUS MINUS SPECIOSAS

LIBIQUE VITAE RANDO

EXERCITATIONEM HANDBERGENSEM

CONSERVANTE GRATIAM ANIMI TESTIMONIUM

HO QVO PAR EST OBSERVATIO

HUMILITER DICATA VOLUIT

PATRICIUS MURRAY

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ASTHMA TE.

PRIUSQUAM de Asthmate aliquid in medium proferam, operae pretium erit respirationem officiaque ejus quam brevissime exponere.

ETENIM cum asthma nihil nisi laboriosa respiratio sit, hinc quibus de causis originem ducat facilius patebit; ideoque ratio symptomatum, ut mihi videtur, supervacanea foret; siquidem omnia fere asthmatis symptomata ab respiratione laesa, quandocunque muniis solitis ea diffungi nequit, oriri consueverunt. Cumque, quantum fieri potuit, haec munia

A

enarrata

enarrata fuerint, symptomata morbi exinde orientia primo intuitu patefient.

DE RESPIRATIONE.

RESPIRATIO est thoracis dilatatio et contractio reciproca, quo fit ut aër in pulmones introeat iterumque ejiciatur. Prior actus inspiratio, posterior expiratio appellatur.

AD respirationis opus rite intelligendum, pauca de aëris natura, partiumque respirationi inservientium structura, dicenda sunt.

AER fluidum elasticum est, in altitudinem circiter quinquaginta millia passuum undique terrae circumfusus, qui, prout a terra distat, rarior evadit, quia minus superne comprimitur.

PRAETER gravitatem ejus, qua terrae centrum petit, circumcirca quoque suis viribus comprimitur, nec minima aëris particula, nisi undiquaque aequaliter coarctata sit, unquam quiescere potest, sed semper, ubicunque minus obstititur, idem subit.

PULMONES concavum viscus efficiunt ex innumeris lobulis compositum *, qui, longa serie

* Haller, sect. 264.

minutissimas in partes dividuntur; et postremo in cellulas membranaceas exiguas resolvuntur, aëre nisi in foetu semper plenas, quae inter se undique communicant.

AER pulmones introire nisi per glottidem non potest, et membrana eorum externa nequaquam aëri permeabilis est.

SED licet aëri per glottidis aperturam via pateat, veruntamen pulmonem aëre semper plenum, et hinc aequa vi atmosphaerae toti renitentem aër externus subire nequit. Ut aër in pulmonem veniat, haec resistentia minuenda est; et hoc efficitur per aëris in pulmone rarefactionem, cum pectoris cavitas dilatatur quam pulmo ad amissum replet. Hinc est ut aëri externo minor fiat resistentia, et ad aequilibrium restituendum aër in pulmonem descendat, donec aër in pulmone eandem densitatem cum aëre externo recuperaverit.

AD exponendam igitur inspirationis rationem nihil restat, nisi vires dicere quibus pectus dilatatur; nam pulmones omnino inertes sunt, motusque ejus subsequuntur.

DILATATIO pectoris praecipue fit per musculorum intercostalium et diaphragmatis contractionem, qua cavitas ejusdem longius latiusque augetur.

AUGMENTUM quod ad latitudinem thorax ab contractione muscutorum intercostalium nanciscitur, quorum omnes, five interni five externi, ad elevandas costas conferunt.

Hoc in foeminis quam in viris insignius est; sed sanitati non sufficit; et major pars spatii quod thorax ope inspirationis acquirit, a septi transversæ actione provenit, qua thoracis longitudo multum producitur*.

IN majoribus inspirationibus, ab qualibet causa excitatis, alii muscoli, "vel thoraci, vel "claviculis, vel scapulae†," inserti, ad dilatandum pectus accedunt.

INSPIRATIONE ita expleta, muscoli relaxantur, et *costae* per renitentiam cartilaginum suarum, quae multum elasticitate pollent, in pristinum statum restituuntur. Diaphragma quoque, per reactionem *peritoneae*, *pericardii*, et muscutorum *abdominalium*, in thoracem retruditur.

CUM cavitas thoracis sic est diminuta, aërem expelli per glottidem necessario consequetur, in quem effectum fibrae musculares bronchiorum, per vim suam contractilem, conferunt.

* Haller sect. 286.

† Id. 291.

CUM inspiratio major expirationem majorem ideo necessariam reddit, eam alii muscoli, ut “sacrolumbalis, longissimus, quadratus *,” adjuvant.

HACTENUS vires per quas thorax dilatatur iterumque comprimitur, ideoque per quas respiratio perficitur, enumeravimus. Sed etiamnum, quibus tandem rationibus haecce thoracis dilatatio et contractio vicibus alternis omnino fiat, dixisse restat.

HALLERUS † existimat, hoc fieri ex eo quod sanguis, vel in inspiratione vel in expiratione, per pulmones difficile transeat; aut potius quod haec alternatio ad transmissionem sanguinis per pulmones prorsus sit necessaria, sine qua “a sanguinis itinere compresso oritur molestia,” cui ut homo vivus obviam eat, ipse vires inspirationis relaxat, et in actionem vires expirationis ciet, et vice versa.

SED, five hanc five aliam quamcunque hujusmodi opinionem pro vero ducamus, haud multum refert. Per leges enim mechanicas solas respiratio non dilucide explicanda est:

Quapropter

* Haller, § 296.

† Sect. 294. 298. 300.

Quapropter etiam ad animi potestates ultra recurrendum.

OMNIA namque et corporis et animi munera ad certos fines a natura comparantur, ac prout vel ad animi corporisve sanitatem haec plus minusve sunt necessaria, majus ab eorum ignavia vel interneccione fit detrimentum.

MULTA exinde ab affectuum imbecillitate, fortasse etiam plura quam ab eorum enormitate, generi humano nascuntur mala; sed utrinque infesta.

QUOD ad corpus observandum est quoque, omnia officia ejus cum laesa sunt, pro utilitate sua, damni plus minusve periclitantibus adferre. Exinde fiunt molestiae, quibus ut adversetur animus, ad munia sua perficienda corpus incitat.

SED quomodo vis haecce moderatrix in corpus agat, vix explicandum est. Etiam si credamus hoc per materiam aliquam subtilissimam fieri, haud propius ad veritatem appropinquabimus. Nexus enim inter animum et corpus in tenebris latet, dumque homines sumus semper fortasse latebit.

VERA

VERA philosophia fortasse non clarius elucescit quam dignoscendo, *Mortalium quod valeant humeri, quod ferre recusent.*

SED de respirationis utilitate nunc dicendum est.

NONNULLIS ab experimentis patet, sanguinem, sine dilatatione et contractione thoracis alterna, a dextro ad sinistrum ventriculum cordis difficillime transire; etiamsi his documentum, quoddam a Doctore Hook prolatum, obistere videtur *.

HAC de causa praecipue fit, ut nullum animal, respiratione semel ablata, vivere queat.

ALIAM utique, mortis esse causam quamplurimi contendunt, nempe quod nonnihil vitae omnino necessarium, aeris ope suggerendum, in pulmones non ingrediatur. Hoc autem nonnihil, quicquid sit, licet ad vitam sustentandam conducat, haud usus primarius respirationis esse videtur uti suppeditet.

QUAMVIS HALLERUS existimat respirationem fieri ex eo quod necesse sit ut sanguis per pulmones transmittatur; veruntamen, inquit ille †, “ ab ea necessitate differt utilitas respirationis,

* Whytt's essay on the vital and involuntary motions.

p. 225. 226 227.

† Sect. 300.—301.

“rationis. Illam natura evitasset pulmone aut
“nullo facto, aut tali qualis in foetu est.”
Porro, opinatur et densitatem et calorem, eti-
amque “ruborem floridum,” sanguinis in
pulmonibus adquiri.

VERUM, utut haec res sese habeat, five in
pulmonibus sanguis calorem suum acquirat,
five in illis refrigeretur, ad multa alia utilissi-
ma conducit respiratio.

QUIPPE ejus opera quaedam vel noxia vel
supervacua a cumulo sanguinis exhalantur, et
casus multi, quibus secretio per cutem obno-
xia est, aut leniuntur aut exaequantur. Hinc
fortasse accidit, uti secretio a pulmonibus, tem-
poribus hybernis frigidisque quam aestivis,
aut ab alia quacunque causa dum corpus cale-
feit, major evadat.

PER respirationem quoque nutritio adjuva-
tur, et secretiones excretionefque quampluri-
mae multum promoventur.

PORRO, respiratio odores una cum aere adtra-
hit, et per olfactus organum ad sensorium ducit.

DENIQUE, vox ipsa a respiratione provenit,
qua praecipue commercium humani generis
ubique sustentatur.

Ex antedictis manifestum est, respirationem ab multis causis non raro impediri, et multa mala exinde consequi.

Pro ratione enim vel quantitatis vel qualitatis sanguinis in arteriam pulmonalem ducti, porro etiam facilitatis qua sanguis per ipsa vasa pulmonalia transmeat, et denique prout aër vel rarior vel densior plus minusve caloris habet, eadem variat. “Concensus aliquis est quoque pulsui cum respiratione *.” Hinc fit ut, si de qualibet causa pulsus acceleratur, et plus solito sanguinis ad cor advenerit, frequentior itidem respiratio deprehendatur.

Quod quidem anhelationem saepe facit, cum corpus multum movetur, et exinde sanguis venosus ad cor incitatur.

Quinetiam cum aliqua sanguinis remora pulmones obstruuntur, inspirationum conamen numerusque augetur, quibus expediatur iter.

Hinc obiter observari liceat, et suspirium et oscitationem concitari, cum vel ab debilitate vel morbo aliquo remora nascitur, aut denique cum animus vehementer in aliquod intenditur; et his de causis sanguis in pulmo-

B

nes

* Haller. § 310.

nes accumulatur; ideoque et frequentior et plenior respiratio commovetur.

SED de hisce jam satis dictum est; deinceps ea quae ad asthma speciatim pertinent aggrediamur.

D E F I N I T I O.

“ASTHMA est morbus chronicus, cujus
“praecipuum symptomata est periodice recur-
“rens respirandi difficultas *.”

ASTHMA ita definitum a dyspnoea et ab orthopnoea, in quibus respirandi difficultas non est periodica, satis discriminatur.

RESPIRATIO in morbis fere innumeris quoque fit difficilis; sed in his tantum symptomata est, et morbi primarii ratio est habenda.

SAUVAGESIUS haud pauciores quam octodecim species asthmatis enumeravit; sed harum nulli praeterquam primae et secundae nomen asthmatis seorsum esttribuendum.

NAM caeterae omnes, ut opinor, alios morbos indicare videntur, aut a causa cui originem debent appellantur, vel denique ab aliqua causa continua producuntur; ideoque morbos inter periodicos recte digeri nequeunt, sed pro eorum acumine, vel inter morbos

* Vid. Sauvages.

bos dyspnoicos vel orthopnoicos rite annumerentur.

ASTHMA magis proprie in duas species tantum a quibusdam dividitur, viz. *asthmatis sicci*, et *asthmatis humidi*. *

ASTHMA humidum a materia quadam vitiosa oriri videtur, quae gradatim coacervatur; et exinde fit quod aegri paroxysmum antequam accesserit aliquamdiu percipiunt.

DUM paroxysmus cessat, “ quoque fit cum “ sensibilis materiae peccantis remotione et “ excretionem.”

HINC asthma manifestum dictum fuit.

IN asthma vero sicco, sine “ materiae sensibilis cujusdam accessione, aut recessione, aut “ excretionem,” paroxysmus et subito incipit, et “ etiam subito cessat†.” Hinc asthma occultum ab HELMONTIO dicitur; sed ut in nervis causa proxima ejus existere videtur, ita nomine asthmatis nervosi species haecce insigniatur.

DE asthma nervoso igitur imprimis, et deinceps de asthma humido, dicendum est.

* Etmulleri collegium practicum, tom. 2. page 227.

† Id. page 229,

DE ASTHMA TE NERVOSO.

HISTORIA MORBI.

SINE ullo symptomate de quo paroxysmus praevideatur, aeger cum respirandi difficultate, haud sine metu suffocationis, subito corripitur; vultus rubet et oculi prominent; “humeros respirando ut alas attollit;” urinae aliquando plus quam solito, aliquando minus, fecernitur; stricture quaedam in larynge vel in scrobiculo cordis saepe perferuntur*.

CUM per tempus quoddam paroxysmus cum omnibus symptomatis quae a respiratione difficillima oriri solent permanerit, aeger, sine ullius sensibilis materiae expulsionem, cui paroxysmus referendus, cito liberatur.

“INTERDUM equidem, dicit ETMULLERUS, “in fine aliquid, licet parum, muci emittunt, “quae non causa peccans est, sed ex conatu

* Vid. Willis de morbis convulsivis cap. 12. Van Helmont. de asthma et tussi passim. Etmulleri opera tom. 2. de asthma passim.

“respira-

“respirationis circa laryngem et fauces ali-
 “quid colligitur quod evacuatur.”

Post paroxysmum aegri facile respirant, et
 sunt alias “fani donec paroxysmus veniat.”

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

OMNIBUS ab exemplis asthmatis nervosi
 vel ab HELMONTIO aut WILLISIO, vel ET-
 MULLERO aut HOFFMANNO, memoratis, per-
 suasum habeo, irritabilitatem corporis quan-
 dam huic morbo praedisponere; cujus ratio
 non facile est explicanda. Nam nulla nec
 aetas nec sexus huic morbo non est obnoxius.
 Alii asthmatici obesi, alii graciles; aliqui ro-
 busti fuerunt, aliqui teneram constitutionem
 habuerunt. Alius scorbuticus fuit, sed mul-
 ti bene valebant donec paroxysmo correpti.
 “Unus erat consul magnae urbis, liberalis
 “potator et vir fortis.” “Alius juvenis, an-
 “norum 24, nullo sanitatis aut vitae errore
 “contaminatus, studiosus et venationi quo-
 “que incumbens, et hinc pedibus cursuque
 “velox *.”

* Helmont. de Asthmate et tussi, sect. 21. et 22.

CAUSÆ

CAUSÆ PROCATARCTICÆ.

ENCEPHALI affectiones, five a causa ignota five a vi externa oriuntur, asthmatis nervosi aliquando sunt causae.

WILLISIUS du o exempla profert in quibus cephalalgia et vertigo asthma praegrediebantur *.

HELMONTIUS † unum quoque memorat, “ ab lapsu de scala in nave in humeros et “ occiput,” excitatum. Animi affectus, tempestatis subitae mutationes, errores in diaeta, asthma nervosum saepe quoque inducunt.

MULTI etiam morbi in quibus systema nervosum praecipue afficitur, ut hysteria, hypochondriasis, et arthritis, causae asthmatis haud raro inveniuntur. Ab fumis metallicis quoque, et ab aliis vaporibus noxiis, asthma aliquando producitur.

DENIQUE, omne, quicquid sit in nervis, quod per vim suam in musculos qui respirationi inserviunt, ita agere potest, ut respira-

* De morbis convulsivis, cap. 12.

† De asthmate et tussi, sect. 21.

tionem difficilem reddere queat. Nam respirandi difficultas semel inducta, periodica saepe evadit.

CAUSA PROXIMA.

CONTRACTIO spasmodica muscutorum quorundam qui respirationi famulantur, asthmatis nervosi causa proxima esse videtur.

NAM in nervis causam proximam solummodo esse, et multis argumentis et observationibus anatomicis comprobatur. WILLISIUS enim inquit, "Lanium quendam, qui
"cum diu laboraverat asthmate periodico,
"inter 14 vel 20 dies utplurimum recurrente,
"tandem in ipso paroxysmo extinctus est.
"Cadaver apertum exhibuit omnia viscera
"sana, praesertim pulmones, neque aut
"excrementi in bronchiis collecti aut sanguinis in venis restagnantis ulla indicia
"prodita sunt. Hoc tantum praeter naturam accidit, quod vesica fellea calculos complures in se continuit*." Hoc fat erit de causa proxima.

* Tom. I. De morbis convulsivis, cap. 12. pag. 564, et 565.

PRIUSQUAM

PRIUSQUAM de medela asthmatis nervosi aliquid dicam, idoneum videatur, imprimis de asthmatis humidi historia causisque ejus verba facere.

DE ASTHMA TE HUMIDO.

FLOYERUS, qui triginta circiter annos asthmate humido laboravit, de eo librum conflavit, in quo morbum hunc optime depinxit. Exinde, exemplum SAUVAGESII secutus, qui multo adjumento mihi erit, licet in paucos errores lapsus fuerit, ut a comparatione videre licet, morbi descriptionem eruere decrevi.

HISTORIA ASTHMATIS HUMIDI.

PER symptomata varia aliquantum temporis ante accessum paroxysmus praesentitur.

PRIDIE enim accessus tempore postmeridiano, stomachi plenitudo, et praecordiorum angustia, ructibus insipidis insequentibus, percipiuntur. Haec ventriculi plenitudo paroxysmum

yſmum ſupervenientem primum indicat, et tuſſim vel pulmonum ſtriſturam antecedit.

Noctu calore etiam lecti angitur aeger. Omnia ſtimulantia vel calida laedunt; dum frigido potu ſtomachi plenitudo ſublevatur. Caput ſtupet leviterque dolet. Somnolentia, pandiculatio, oſcitatio, urinae limpidae copioſa miſtura, quae poſt acceſſum rubrior cum ſedimento evadit; artuum defatigatio; anxietas; caput veluti fumo plenum videtur; inſpiratio fit difficilis; vox rauceſcit; diaphragma aegre deſcendit; tuſſis convulſiva, ſicca, vel glutinoſi aliquantulum, in ſine vero acceſſus multum, extrudens.

INVASIO.—Hora circiter ſecunda matutina ſymptomata plerumque ingraveſcunt. Diaphragma difficile movetur, et muſculi ſcapulares in coſtis elevandis fortiter agunt. Inſpiratio quam exſpiratio multo difficilior eſt; aſthmaticus e lecto ſurgere cogitur; et vix poteſt vel tuſſire, exſpuere, nares emungere, aut loqui. Flatulentia ſtomachi creſcit, et reſpirationi partim obſtat.

Si paroxyſmus intenſus fit, vomitio bilioſa concurrit, et frigida appetuntur.

ACCESSUS, vacuo ventriculo, poſt cathariſm jejuniumve ſaepius invadit; ſi vero ſtomacho

cho bene pasto accidat, diutius durat et infestior est. Asthmaticus incalescit ad sudorem usque, cum pulsu celeri, licet inaequali; surgens e lecto alvum pluries cum flatibus dejicit.

ACCESSU perseverante, pulsus debilior fit, et intermittit; manus et pedes frigescunt; facies livefcit; accedunt cardialgia et palpitaciones.

DEGLUTITIO, sonora cum raucedine quadam, difficilis; labia fugentis instar disponuntur; oculi prominent, et lachrymae invitae fluunt; oculorum ambitus cutaneus livet; caput dolet, et phantasmata, ut in insomnio, fingit; somnolentia aegrum obruit; sed erectus, vel in sedili, vix somno indulgere valet, capite in latus alterutrum vel antrorsum, non vero retrorsum, inclinato. A cubiculo angustiore, ab igne, a pulvere, multum laeditur; nec non a pravis odoribus, a vino, et ab illis quae pectori incumbunt. Initio morbi intra paucas horas accessus aliquando terminantur; sed postea tres, quatuor, vel quinque dies divexant. Paroxysmo cessante, sputus et faciliior et copiosior.

Cum accessus brevis est, sputus etiam fit durante paroxysmo; sed cum tres aut quatuor dies duraverit, ante diem tertium vel quartum

tum paululum exspuitur. Post recessum plenum, nullum fere phlegma ante paroxysmum sequentem ejicitur. Accessus sexdecim hyeme, et viginti aestate, patiebatur FLOYERUS. Aestivi accessus quoque intensiores erant et longiores hybernis.

OBSERVANDUM est, menses illos qui Septembrem inter et Martium elabuntur, sub nomine hyemis, FLOYERUM complexum esse, et exinde ad Septembrem tempus aestivum computasse.

Quo longiores accessus fuere, eo longiora intervalla, et reciproce.

CAUSAE ASTHMATIS HUMIDI.

QUALIS est corporis habitus qui asthma humido praedisponit, sive a natura vel ab alia quacunque causa oriatur, non explicare conabor.

CAUSAE PROCATARTICAE.

I. SUPPRESSIS evacuationibus solitis, sive sanguineis sive serosis, asthma haud raro producit*. Hinc obstructio vel fluxus men-

* Etmuller. tom. 2. p. 228.

strualis vel haemorrhoidalis asthma saepe inducit.

SED materia perspirabilis, a quacunque causa occasionali retenta, asthma humido saepissime forsitan originem praebet. Nam, cum per cutem haec viam non habet, ad pulmones praefertim defertur, ibique congesta, respirationem difficilem reddere videtur. Hoc sine effectu perspiratio nunquam fortasse multum cohibetur. Hinc verisimillimum est, respirandi difficultatem, in exemplis a doctore MILLER * memoratis, ob aëris humiditatem et coeli subitas mutationes inductam esse.

II. ARTHRITIS, rheumatismus, exanthemataque, cujuscunque sunt generis, percussa, asthma producant.

III. OMNIA quae stimulant, quibusque irritabilitas quaedam corpori infertur.

HAC de causa graviores animi affectus et vapores multifarii asthma inducunt. Hinc quoque in hysteria, et in hypochondriasi symptomaticum est, similesque causas aliquando agnoscit.

IV. AB omnibus fere morbis qui cachexiae nominantur, aut qui a colluvie serosa quadam
originem

* Vid. Miller's observations on the asthma and hooping cough, part I. chap. I.

originem trahunt, ut scorbuto caeterisque, asthma non raro provenit, illosque vicissim fortasse producit.

CALOR, coeli mutationes, et errores in diætâ, inter causas asthmatis humidi quoque sunt enumeranda.

CAUSA PROXIMA.

VISCIDUM quoddam in pulmonibus congestum, causa proxima asthmatis humidi esse videtur.

RESPIRATIONIS opus, pro quantitate aut qualitate ejusdem visci, quicquid sit, laboriosum et arduum redditur. Hoc fieri possit vel propter quantitatem et visciditatem huius materiae, quia sanguinis iter per pulmones forsitan impeditur; vel ob acredinem ejus, quia haecce materia nervos pneumonicos stimulare queat; ideoque, donec ejiciatur, muscoli respirationi famulantes fortiter suas vires intendunt. Ab hoc autem conatu profluit ipse paroxysmus; et hinc omnia symptomata asthma propriâ oriuntur, quae, prout haec materia morbifica expulsa sit, paulatim semper evanescunt.

MATERIA haecce morbifica, a sanguinis ferofitate, vel a secretionibus per urinam et perspirationem deportandis, quae nihil aliud sunt, uti videtur, nisi sanguinis ferofitas in putredinem

putredinem agens, pulmoni illatis, provenire possit.

REMEDIA quae in asthma maxime sunt salutifera, et causae quamplurimae antea prolatae, a quibus hic morbus saepius originem trahit, ad hanc opinionem sustentandam multum conferunt. De his autem remediis sub medendi methodo postea agendum est.

ETMULLERUS exemplum a proposito non alienum commemorat. Nam, inquit ille, ‘Orthopnoea ingenti oborta ex sero sanguinis, quo pulmones et ejus circumjacentia loca repleta fuerunt: id quod patuit per solutionem, quoniam intra 24 horas fuit levata per excretionem 36 lib. urinae.’

SIN vero a materia perspirabili retenta et in pulmones congesta asthma non raro provenit, qui fit ut in aestate paroxysmi et frequentiores et intensiores quam in hyeme essent?

Hoc vero non mirandum, cum asthma semper irritabilitas quaedam comitatur, paroxysmos in temporibus aestivis, propter caloris stimulum, multo et frequentiores et intensiores exinde futuros esse; nam, ut antea observatum fuit, omnia calida nocent.

PRAETEREA, ea pars anni quam aestatem FLOYERUS appellavit, in hoc regionum tractu, subitis

subitis mutationibus quibus perspiratio precipue cohibetur, magis obnoxia esse consuevit.

AT vero FLOYERUS observavit *, 'In tempestate serena et continua, paroxysmorum intervalla semper fuisse longiora.' Quod quidem hypothesein magnopere suffulcit; quoniam talis coeli temperies respirationi maxime favet.

CUMQUE in regionibus aequinoctialibus, et ubicunque terrarum, perspiratio interpellationibus non sit opportuna, scorbutus vel raro vel nunquam grassatur; cumque, ut ante dictum, a scorbutu asthma concitatur, vel eandem potius causas aliquando agnoscit; ideo regionum earum asthma humidum non plus quam scorbutum esse indigenam, persuasum habemus.

AB antedictis fatis apparet, inter asthma humidum nervosumque non parum discriminis interesse, quamvis a nonnullis quidem asseveratur, utrumque propemodum idem esse, symptomatistisque fortuitis solummodo a se invicem discrepare.

QUINETIAM concedatur, causas quibus inducuntur nonnunquam sibi invicem admodum esse similes. At vero, ni fallor, ita res sese habet, quoniam utrumque alterum alternis vicibus haud raro produxisse consuevit.

SIVIDEM asthma humidum, a nervoso jam inveterascente, saepissime concitari, multis documentis comprobari videtur. Ex adverso quoque, a paroxysmis asthmatis humidi crebro repetitis, quaedam nervorum pneu-
monicorum mobilitas excitatur; unde asthma humidum easdem causas occasionales ac nervosum multoties agnoscit.

QUAMVIS autem concedatur utrumque ex iisdem causis aliquando procreari, veruntamen, quoniam cum in paroxysmi curatione tum in redintegratione praecavenda nonnihil discriminis intercedat, uti postea dicendum, non exinde consequetur asthmatis partitionem in duas species esse supervacaneam. Causarum praeterea similitudo, argumentum satis validum haud fuggeret, cur haecce discriminatio non necessaria foret; namque morbi complures ex iisdem saepe causis originem trahunt. Quinimmo ex medicaminum quorundam effectu, veluti corticis Peruviani in morbis multifariis curandis, et ex rationibus nonnullis

nonnullis a theoria deductis, verisimile videtur, omnes morbos quibus opportunum est corpus humanum, causarum paucissimarum esse sobolem. Hae vero causae, modificatione quadam diversa, siue interna siue externa, phaenomena in corpus humanum multifaria inducere solent, quae prout diversorum morborum symptomata contuemur, quoniam in medendi ratione discriminis aliquod expostulatur.

QUAMVIS enim concedatur, morborum causas originales perpaucas esse; dum tamen indole animi diversa homines imbuuntur, et in vario vitae genere versantur, phaenomena morbida etiam diversa futura esse necessario consequetur. Sed pathologiam nostram fore imperfectam, donec quid sit sanitas effari possumus, haud inficiandum.

VERISIMILE videtur, asthmatis utrumque genus aliquando esse reciproce complicatum, cujus discrimen ut medicus internoſcat, omnino necesse est; ideoque seorsum quam accurate fecernere conatus sum.

P R O G N O S I S.

IN asthmatis nervosi quam humidi paroxysmo periculum majus imminet.

COMPLURES asthmate, nullis fere incommodis insequentibus, diutissime laborarunt. FLOYERUS ipse per annos circiter triginta idem perpeffus est; aitque, ‘ se nonnullis ‘ asthmaticis interfuisse, qui per quinquaginta annos istud malum tolerarunt, dum ‘ interea salute mediocri fruebantur sine ‘ ulla tabe pulmonum notabili, vel corporis imbecillitate, quo minus muniis suis ‘ solitis diffunderentur *’.

‘ UTCUNQUE tamen, *animadvertit*, a paroxysmorum frequentia, in corporibus gracilioribus morbos tabidos, in obesis vero hydropicos, lethargicos, aut pulmonum inflammationes ubique fere lethales, non raro ‘ concitari †.’

AEGER, postquam asthmatis paroxysmos aliquoties perpeffus est, rarissime sanatur.

INFANTES, ab eo, de medio plerumque tolluntur.

Quo magis etiam morbus inveteraverit, eo
magis

* Cap. 1. pag. 16.

† Ibidem

magis medelae renunciat. Senescentes equidem ab ejus imperio rarissime liberantur.

PORRO, cum effectus paralyticos, praecipue capitis, induxerit asthma, vel iis stipatur, plerumque lethale.

SI quando metastasis, aut evacuatio aliqua diutius suppressa, morbum concitaverit, judicium eventus auspiciatissimum.

ASTHMA hereditarium vel raro vel nunquam sanatur.

ASTHMATICORUM periculum ab accessuum frequentia symptomatumque impetu plerumque dijudicandum.

METHODUS MEDENDI.

IN asthmatis utriusque curatione adhibenda, paroxysmi ipsius alia curatio, alia vero extra paroxysmum, observanda. De quibus singulis in utrovis genere, prout occurrant, deinceps ordine dicturi sumus.

CURATIO ASTHMATIS NERVOSI.

IN asthmatis nervosi paroxysmo indicatio videtur, muscutorum respirationi famulantium

tium strictionem spasmodicam sive convulsivam amovere.

Huic antispasmodica, opiata, phlebotomia si adsit plethora, enemata emollientia, thoracique fomentationes, inserviunt. In paroxysmo periculofiori, brachia ligaturis superne contracta, sanguinem a pulmone et capite in illas partes derivando, fortasse levaminis haud parum adferent; et hinc phlebotomia, quippe quae semper corpus debilitat, non necessaria foret.

Cum paroxysmus amovetur, indicatio est irritabilitatem dimovere, et systema corporeum refocillare atque confirmare.

Hunc in finem cortex Peruvianus praecipue est exhibendus. Balneum frigidum, martis praeparata, et omnia corpus roborantia, irritabilitatemque submoventia, ne paroxysmus fiat recidivus, quoque sunt usurpanda.

CURATIO ASTHMATIS HUMIDI.

In paroxysmo asthmatis humidi, scopus est,

I. MATERIAM

I. MATERIAM viscidam attenuare et evacuare.

Quod quidem medicamentis attenuantibus, expectorantibus, catharticis et emeticis lenioribus, omnino perficiendum. Potus diluens et refrigerans, subacida, nitrum, aliaque neutralia, nec minus oxymel scilliticum, hos in fines a FLOYERO fauste fuere usurpata. Diuretica etiam mitiora, uti videtur, multo cum emolumento propinari queant; quinimmo evacuationem hujusmodi natura ipsa demonstrat, et medicamenta quamplurima in asthmatis humidi paroxysmo divertendo celebrata, praecipue propter vires diureticas, evadunt fortasse salutifera. Porro etiam sudorifica, quae ingratum caloris sensum amoveant, ni fallor, nonnunquam haud parum valerent; cavendum vero interea ne vi stimulatrici nocerent. Vesicatoria quoque semper profunt.

2. INDICATIO secunda in asthmatis humidi paroxysmo videtur, irritabilitatem, per iteratos musculorum respirationi famulantium conatus quibus causam morbidam exterminant inductam, amovere.

Hunc in scopum opiata collaudantur; sed etiam si pro tempore levaminis aliquod afferant;

rant; veruntamen, ne systematis mobilitati faveant, summa cum cautela in usum vocanda. Phlebotomia quoque, ne corpus debilitet et hydropem inducat, haud temere exercenda. Maximum enim subsidium a medicamentis indicationi priori respondentibus est expectandum.

Nec minus symptomatis quibusdam morbi affeclis, qualia extremorum albor et flatulentia, animum attendamus oportebit.

FLATULENTIAE clysmatis carminativis, extremorum albori semicupio balneove subtepidi, occurritur. At vero cavendum ne balnea nimis calefiant, quippe quae aegrum, caloris impatientem, multum laederent, et propter stimulum symptomata fere singula exasperarent. Minore vero gradu calefacta, forsitan multum prodesse, et diaphoresin leviusculam foverent.

PAROXYSMO tandem amoto, ad redintegrationem praecavendam, quicquid materiae viscidae evacuationem promoveat aut accumulationem prohibeat multum conferet.

HINC emetica leviora saepius iterata, enemata emollientia, subacida, fonticuli, maximo commodo inserviunt.

SYSTEMA,

SYSTEMA corporeum rationibus omnibus, praecipue cortice Peruviano et lavatione in aqua frigida, quoque corroborandum est. Lavatio frigida secretionem per cutem paulisper equidem cohibere queat; ex adverso autem, eam ex toto multum promovebit.

REGIMEN.—In utroque asthmatis genere, exercitatio mediocris apprime commoda est. Alimentum, secundum corporis habitum, plus minusve nutriendo idoneum, sed in genere concoctu facillimum, esse debet. Cibus flatulentus in utroque, et cibus mucilaginosus, sive qui materia gelatinosa abundat, vel eandem in corpore procreare queat, in asthma humido sedulo evitandus.

THORACEM haud constrictum esse oportet.

QUAMVIS autem a multis auctoribus observatum fuit, aëris tractum aliquando humidum, diversisque vaporibus, ut in urbibus, inquinatum, aliquando autem, uti ruris, siccum et serenum, esse salutiferum: Veruntamen, in quonam asthmatis genere, quaenam aëris conditio sit magis idonea, statuisse nequeo; sed de hoc cujusque asthmatici experientia et medici observatione etiamnum dijudicandum est.

OPERE utcunque jam peracto, hanc occasionem praeterire nequeo, quin, quam maximas Praeceptoribus meis charissimis, in hac academia rei medicae professoribus, ob multa beneficia in me collata gratias referam; quorum omnium, hominum praestantissimorum, undequaque terrarum, grato animo semper recordabor.

F I N I S.